

REBELLIS
HISPANIA GESTIS

DISPUTATIO II

publice habebitur

PRÆSIDENTE

M. SEBASTIANO EDZARDO

&

RESPONDENTE

HERMANNO PINNIGSTEN

in academia bremenensi

Die 24. Julij, Anno 1697.

E. S. C.

IN VENERABILISSIMO S. CHR. SCHOLASTICO AC. T. P.



HISpaniae regni historiam inde ab ipsis Romanis ad nostrā usq; aetatem superiori dissertatione compraeendi. Quae rerum facies sub Romanis, quae sub Vandalis, Alanis, Svevisq; quae sub Gothis, quae sub Mauris fuerit, generatim & universe exposui. Incrementa amplissima, successu plane singulares & admirandos posteritati, detrimenta, quibus praegrave imperium locum dedit, gravissima, Regum, quos a Ferdinando Catholico habuit, res gestas quasi in tabella depinxi. Restant alia, quae sigillatim considerari expedit. In quibus nunc operam studiumque collocabo.

II. Primas sibi curas REGIMEN deposcit. Illud a plurimis seculis Reges tenuerunt. Regibus magna semper potestas, amor & veneratio maxima constitit. Justa & salutaria imperantibus parere, Hispanis jam olim pro summa libertate fuit. Imperio tamen temperato gavisi sunt, acerrimi privilegiorum custodes. Alphonso II. ne Carolum M. Regnorum Legionis & Ovieta heredem, (siquidem Hispanis auctoribus fides habenda,) scriberet, populo ordinesq; Hispani obstiterunt. Cum Regnum hoc, cujus spes ab Alphonso facta fuerat, armis peteret, bellum difficile & periculosum gerere, & a vicinis quotidianisq; hostibus Mauris auxilium petere, quam Regem externum pati maluerunt. A Castellanis Henrici IV. conatibus etiam per vim & arma obex positus est. Eum ad liberos procreandos ineptum fama vulgaverat. Id dedecoris per summum scelus infamiamque deleturus, Bertrandum Curvam cum regina cubare jusserat. Ut filia inde suscepta regni renunciaretur heres, nihil intentatum reliquit. Indignum, usuque & exemplo foedum proceribus videbatur, fortibus viris adulterinam sobolem imperare. Itaque fratris Alphonso jura defensuri, Henrici effigiem regis ornatam insignibus in theatro collocant, Divini humanique juris violati accusant, damnant, ornamentis nudatam deturbant, Alphonsum Regem salutant. Nec prius cum Henrico in gratiam redierunt, quam Alphonso mortuo, successionem Isabellae sororis firmasset. Postea cum Isabella Ferdinando marito Castellae administrationem testamento detulisset, intercesserunt Proceres, imperium Ferdinando abrogarunt, abrogatum Joannae & Philippo filiae generoque commiserunt. Aragonios nihil ante libertatem habuisse, constat tum veterum, tum recentiorum scriptis. Initio libera ipsis Regem eligendi potestas fuit. Is, penes quem rerum arbitrium esse volebant, non suo imperabat arbitrio, legibus tenebatur, quas praescriperant. In has fidem dabat, & accipiebat. Si leges insuper haberet, si nimiam suae, parvam aut nullam publicae utilitatis rationem duceret, regno excidebat. Certissima ad regnum amittendum via erat, affectare majorem, quam par erat, potestatem. Parvam securitatem existi-

mabant proceres, quae soli membranae inscriberetur. Viribus partam libertatem viribus conservare nitebantur. Novam Magistratus excogitatum genus. *Justitia* dicebatur, ut vel sacro *justitiae* nomine auctoritas conciliaretur. Huic incumberebat, Regiam potentiam justis limitibus inclusam tenere. Imponebatur solio, Rex genibus advolutus jurato promittebat, se privilegia populi facta tecta servaturum. Tum demum Praetor populi nomine renunciaabat regem. Exstat solennis formula. *Nos qui tanti sumus quanti vos, & plus quam vos possumus, regem vos eligimus his conditionibus. Inter vos & nos unus majore est imperio, quam vos.* Itaque populus par Regi, Rex vix ac ne vix quidem par populo, *Justitia* utroque major. Hinc natum magnificentius illud & verius, quam latinius proverbium. *Justitia non curat regios privilegios.* In Comitibus non minor ordinum potestas, quam hodie in Polonia, erat. Unius dissensus plus valebat, quam reliquorum omnium consensus. Quod jam jam ratum videbatur, irritum erat, si unus repugnaret. Regum tamen potentia paulatim aucta est, *Justitiae* auctoritas imminuta, imo prorsus deleta. Petrus ab acinace auctoritate suadendi magis quam jubendi potestate a suis impetravit, ut successioni daretur locus. Mox caput, quod de eligendis Regibus agebat, stricto acinace discidit, eundemque manui impexit suae, dicens, non nisi Regio sanguine tanti ponderis legem delendam. Saeculo XV. Censores constituti sunt, quibus *Justitia* quotannis rationem factorum reddere teneretur. Iniquum videbatur, Regi apud *Justitiam*, *Justitiae* apud neminem causam dicendam esse. Audiebantur voces eorum, quibus Reges beneficiis, alter ille Magistratus injuriis forte cognitus erat, resolvi vim Principatus, cuncta ad *Justitiam* vocando. Interesse libertatis populi, interesse *justitiae*, ne Magistratus, qui a *Justitia* nomen gereret, injuste agere, impune posset. Ita falsa species libertatis plus apud Arragonios quam libertas valuit. Philippus II. causis se ultro suggerentibus, metu aemuli Magistratus & le & successores suos solvit. Rex ab Antonio Perezio interfecti Escovedii, quem ipse Rex interfici jusserat, poenas repetebat. Regis iram alio scelere meritus erat Perezus, amorum regionum perfidus conciliator, fructusque amorum, qui Regi debebantur, ipse degustare conatus. Sed cum minus honesta causa videretur, alia quaesita facile & inventa. Perezus ad *Justitiam* provocabat; Rex a *Justitia* ad Censores. Is rerum exitus fuit, ut Arragonii, privilegiorum magis, quam expediebat Regi, tenaces, videbellarentur. Johannes Nuca, ultimus illorum qui sacrosanctum *justitiae* munus gesserunt, securi percussus. Arragoniorum privilegia ita imminuta, ut vix umbrae praeae libertatis hodie supersit. Horum tamen & Catalaunorum melior conditio, quam Castellana est. Catalaunae libertatis hactenus unicum vinculum Gallorum vicinia fuit, quo abrupto ultro dilaberetur. Nunc autem, cum jam olim ad Gallos defecerint, nec sine multo sanguine, magnisque sumti-

sumtibus dentio ad officium redacti sint, aulici cautius agere didicerunt. De Lusitanis nihil attinet dicere, quippe quos non ruere in servitium multis documentis constat, fidemque facit regnum Philippo IV. & aliquanto post Alphonso Johannis Bragantini filio abrogatum. Nemo tamen mixtam regiminis formam sibi in Hispania imaginetur. Regimen purum, simplex, non ex diversis coagmentatum formis, Imperium solius Regis, obsequium populi est. Hic solus statuit, ac decernit. Non precario gaudet imperio, sed liberiori potestate praestit. Nemo temere intercedit jussis, nemo inverecunde refragatur. Ejus auspicio cuncti reguntur. Penes eum summa pace belloque auctoritas, arbitriumque legibus temperatum. Habent enim privilegia sua proceres, habet populus. Grandes Hispaniae ipso Rege praesente caput tegunt, uxores eorum Regina stans excipere solet. Quidam hac dignitate dum vivunt, fruuntur, alii quoque ad posterum transmittunt. Duces omnes in Grandium numero sunt, non omnes Grandes in Ducum numero. Et Marchionum Comitumque aliqui Grandibus adscribuntur. Insignem vero privilegiorum jacturam sub Philippo II. nobiles fecerunt. Nimiae illorum opes, potentia nimia suspecta Regi. Hinc novis ex rebus augere constituit, ut perderent vetera. Quanto quis servitio promptior, honoribus extulit. Ex una classe ad alteram evexit. Grandes numero amplificavit. Inde nata aemulatio, similitudo, invidia. Aemulatio majores, quam ratio familiaris rei ferebat, sumtus, hi inopiam pepererunt. Cum aes alienum contraxissent, pignerati redditus terraeque. Ex iis ut creditoribus satisfaceret, Rex non invitatus permisit. Ne vero munitioribus castellis freti nova molirentur, arces quae corruerent, instaurari vetuit. Haec nullo adversante facta, cum nec ferocissimi opponere se Regi auderent, pauci bona libertatis in cassum differerent, omnes tuta & praesentia, quam vetera & periculosa mallent. Ex eo plurimum auctoritati Nobilium decessisse, plurimum regiae potentiae accessisse quis dubitet? Neque jam facile de motibus intestinis audias, nisi qui a fece plebis excitantur. Si annona cara est, si aulicorum aliquis avaro nimis & crudeliter praestit rebus, contra hunc non contra Regem insurgit. Vitam Regi, mortem aulicis precatur. *Viva el Rei, muera el mal Goviorno* vulgare turbidorum hominum carmen est. Raro etiam ultra verba & voces peccant. Facili negotio plebs compescitur, turbae sedantur. Id vero imprimis memoratu dignum est, Regnum & ad sequiorem sexum transmitti, Reginas viduas autem post obitum Regis, aulam soliumque Regale cum Conventu aliquo commutare, nisi Rex aliud ultima voluntate jusserit. Tam grave enim censetur vulnus, Regem maritum amisisse, ut omnium rerum humanarum jactura levis & nullo numeranda loco habeatur. Nec gravatim illa mundo valedicet, quam Rex fato concessurus supremo verbo salutavit.

III. Unus homo tot regnis administrandis non sufficit, nec Hispaniarum Rex humani aliquid a se alienum putat. Indiget Ministris, qui in partem curarum veniant, qui iussa exequantur, quos in terras distitas & transmari- nas ableget, ut, cum uno eodemque tempore uni tantum loco praesens esse possit, per suos tamen ubique regni negotia constituat, & absens tanquam praesens habeatur. Rex in regno est, quod in humano corpore caput. Mon- strosum caput, quod oculis destituitur, nec corpus solo constare capite, aut manibus pedibusque carere debet. Praecipua dignitate funguntur Proce- res, qui Regi a **CONSILIIS INTIMIS** sunt: aequata horum auctoritas, & par conditio, nec superior quisquam nec inferior censetur. Cum confi- dent, is primum locum occupat, qui primus intravit, nec ulla ordinis ratio habetur. De salute regni, de pace & bello, de foederibus, de Regia familia, de liberorum Principum nuptiis, de summis Magistratibus, Proregibus & Gu- bernatoribus provinciarum cum Rege deliberant. Illi sententiam dicunt, Rex decernit, & fert solus sententiam. Bis Saturni, semel Lunae Martisque die conveniunt. Non eorum certus aut circumscriptus numerus est. Rex cum prolubitu vel auget vel imminuit. At definitus illorum numerus, penes quos **CASTELLAE CONSILIUM**. Praeside & XVI. Consiliariis constat. Praesidis permagna auctoritas. Neminem iavisit, nec do- mi ulli unquam cedit. Honoris ergo Regium Castellae Consilium dicitur. Rex ipse sui Consilii nomine dignatur. Patres Veneris die conveniunt. Ubi advesperascit, Rex Senatum ingreditur. Intransem Consilarii aperto capite inflexoque genu ad reverentiam compositi excipiunt, paulo post surgunt, ca- piteque operto iterum confident. Ferdinandum sanctum sive III. auctorem ha- bet, jamque ab Anno Christi MCC XLVI. ad nostra usque tempora duravit. Longe tamen antiquius illud, quod **RERUM BELLICARUM** curam agit. Eosdem natales quos regnum Legionis habet. Pelagio Liberatori Hispaniarum debet originem. Nunquam enim major ejus necessitas quam isto viris armisque incitatissimo tempore. Ter quavis hebdomade habetur, Lu- nae, Mercurii, Venerisque die. Rex non solum interest, sed & praest. Cum tam Augustum habeat Praesidem, quis miretur, in Illustrem Confessum non admitti, nisi graves & rerum gestarum fama clarissimos? Quando tamen Consilarii status, ut vocant, ad sententiam dicendam accedunt, honora- tiorem obtinent locam, Raro autem id fit, ubi nimirum generale consilium agitur, & de rebus maximi momenti deliberatio instituitur. **ALCALDES AULA E** jus dicunt. Si capitis res agatur, nulla ab iis concedi- tur provocatio. Lata sententia executioni mandatur, nullus moras nec ten- di locus. **SUPREMUM INQUISITIONIS CONSILIUM** Ferdinandus & Isabella constituerunt. Optimus Isabellae pro Religione zelus pessimi instituti causa fuit. Illi a confessionibus erat Torquemada, e. S. Dominici ordi-

ordine. Hoc monente, svadente, impellente voto se obstrinxerat, si quando gubernaculis Regni admoveretur, in extirpandis haeresibus propagandaq; religione summo studio elaboraturam. Cum mortuo fratre regnum capes-feret, res contra Mauros feliciter gereret, voti eam Torquemada admonuit. Ne jam majorem regni, quam religionis proferendae curam haberet. Interesse regni, eadem ab omnibus celebrari sacra. Haud illis religionem fore, si- dem fallere, Hispanorum se obsequio subducere, quibus alia quam Hispanis religio esset. Persvadendos verbis, cogendos ferro. Volenti quidem non inferri injuriam, sed invitos beneficiis maestare, hunc demum beneficentiae summum gradum esse. Ageret itaque, lata lege capitis poenam statueret omnibus, qui Judaicae Maranaeque superstitioni nuncium mittere nollent. Si vereretur, ne plurimi hinc simulatores & hypocritae, pauci Christiani e- vaderent, malo se remedium jam invenisse. Quae in animis mentibusque haerean, per verba & facta erumpere. Inquisitores constituendos, qui in illa inquirerent, carcere, proscriptionibus, ultimo denique supplicio affi- cerent a vitae superstitionis convictos. Quid non potest speciosus zeli co- lor? Itaque hoc facile Reginae Torquemada, non difficulter Ferdinando V. Regina persuasit. Inquisitio in Arragoniae Castellaeque regna introducta, Generalis (ut vocant) Inquisitoris partes Torquemadae demandatae. Decem & quatuor annis, quibus illud administravit munus, CM reos peregit, VIM. ad ignem damnavit, solum pietatis genus ducens, religionis causa esse crude- lem. Ceterum Generalem Inquisitorem Rex designat, designatum confirmat Pontifex. Nec praeterea quicquam Pontifici in hoc Consiliu auctoritatis est. Reliquos Consiliarios (quinq; illi sunt) Generalis Inquisitor cooptat. Non vero ex vano est, quod supremu Inquisitionis Consilium dicitur. Plurima sunt non in Hispanicis tantu sed & Portugallicis regionib; judicia inquisitionis caus- sa instituta. Illa omnia, si Mediolanense excepero, huic parent, ut non iis- dem ejus quibus Regis Hispaniae potestas, limitib; claudatur. Ab omnib; In- quisitorum Collegiis (quae tribus tantum Consiliariis constant) ad hoc, ab hoc ad nullum aliud provocatio datur. Veteres leges rescindere, novas con- dere in hujus potestate est. Domesticorum S. officii (apparitorum ge- nus est, *famillares* vocant,) multitudinem ingentem esse certissimum est, an vero XXM excedant, incertum. Neque affirmare ausim, neque re- fellere. Non repugno tamen, quin pro vero accipiatur, quod fama con- stans & gravibus nixa auctoribus veri perquam simile fecit. Hi insignibus gaudent privilegiis, nec nisi coram Inquisitoribus in judicium vocari pos- sunt. Hinc in eorum numero supremae infimaeque sortis homines repe- rias. Non munus hoc nobiles, non Comites dedignantur. Comites non nisi a Comitibus, nobiles a nobilibus, mercatores a mercatoribus,

ple-

plebeji a plebejis capiuntur, & in carcerem abripiuntur, ut adeo per omnia hominum generalinquisitionis pervagetur crudelitas. Ipsi Hispaniae Grandes in generali *Auto dafé* sive latae contra reos sententiae executione, igne cremandos ad supplicium trahunt. Facilis conjectura est, maximam esse potentiam Curiae, quae tanta ministrantium multitudine firmatur. Imo vero Hispaniarum Reges jurato promittunt, se religionis Catholicae gratia potentiam & auctoritatem Collegii hujus factam tectam servaturos, & errores ac haereses pro virili extirpaturos. Qui nunc summam rerum administrat, Carolus II. A. MDCXXC. 30 Junii in solenni religionis perquirendae actu, publice, praesente utraq; Regina, exterorum Principum legatis, & plebe, quae tanto numero confluxerat, ut tota Mantua Carpetanorum sedibus suis excita videretur, isto jurejurando se obstrinxit. Inquisitor Generalis e multo altiori, quam Regis, sella, comitantibus iis, qui Crucem, Evangelia, librumque, quo Jurisjurandi formula continebatur, portabant, ad Regem processit. Formula ab eorum aliquo, qui Regi a Consiliis intimis erat, praelecta. Rex ipse stans, apertoque capite, juravit, nec prius textu caput, aut consedit, quam Inquisitore Generali ad locum suum jam reverso, ut prorsus ille haud multum infra magnitudinis regiae fastigium positus videretur. Tum Consiliarii Regii, omnesque qui convenerant, per quendam a Secretis ad simile jurisjurandum adacti. Laborat annalium fides, cum tabulas, quibus potentissimus Imperator Carolus V. ultimam voluntatem consignaverat, cum Constantinum Pontium, qui ipsi a Confessionibus, Cacullam qui a sacris concionibus fuerat, & Archiepiscopum Toletanum Hispaniae totius Primatem, haereses damnatos, cum Pontii paucis ante diebus demortui effigiem, Cacullamque vivum concrematum legimus. Id tamen non tam dictu mirum quam veritate confirmatum est, & a locupletissimis auctoribus traditur. Facile etiam adducor, ut credam, hanc potissimam necati Caroli principis, filii Philippi II. Regis causam fuisse, quod odio Inquisitorum se exposuisset. Avi, Regis, Imperatoris summi, de Hispania tantopere meriti famam, ab istis hominibus lacessi aegerrime ferebat. Non solum Carolum I. sed se, omnesque in Regia dignitate successores in Carolo I. laedi arbitrabatur. Dum aggrediebantur defunctum, humanitatis, dum Regem, majestatis, dum omni laude maximum Imperatorem, justitiae jura convellebant. Deprimendam hominum impotentis animi potentiam, compescendam audaciam, vindicandamque insignem injuriam fortissimus censebat Princeps. Neque Johannis Austriae aut Ducis Parmensis alia sententia erat. Facile intelligebant Inquisitores aut nunc Principi, aut olim sibi pereundum.

Itaque primum a Philippo impetrarunt, ut omnes illi, quorum primus filius, secundus frater, tertius cognatus Regis erat, satis longo tempore ab ejus consilii societate excluderentur. Non hoc impune laturos, si Carolus regnum suis auspiciis aliquando regere aggrediretur, manifestum erat. Praevenire igitur malebant, quam praeveniri. Interjectis aliquot annis ex similitate, quae Parentem & filium intercedebat, satis commodam occasionem nacti sunt. Ea oblata non prius destiterunt, quam filium necem Patris in animo habere ipsi persuasissent. Sic fortissimus Princeps in flore aetatis fortunaeque, scelere Inquisitorum cecidit, incertumque fuit, Carolusne an Philippus, an vero Hispania miserior esset, cum ille in ipso aetatis robore, vitae, hic unici, & in tantam spem geniti filii, Hispania Principis, qui non jam praeclara & magna minabatur, sed certo promittebat, jacturam gravissimam fecisset. Quis post tam luculentum potentiae Inquisitorum exemplum iis adversari, quis hiscere, quis mutire contra eos auderet? hoc quidem illorum esset, qui perire vellent. Cum jam Inquisitores neminem vereantur, at vel solum Inquisitionis nomen omnes metu terroreque repleat, licere sibi, quicquid libuerit, arbitrantur. Summa injustitia hic summi juris instat est. Nunquam se quis Inquisitorum crudelitati vi, fuga rarissime subducet. Nihil domestici Inquisitionis, nihil sodales Hermandad, (hominum genus est, qui fugitivis persequendis operam dant) intentatum relinquent, quo retrahant, Parum curant, qua ratione eos laqueis irretiant, vim dolo, dolo vim jungunt. Calliditatem pro ingenio habent, perfidia tanquam virtute utuntur, mortalium nulli aut fidem dare gravantur, aut datam fallere non sustinent. Summam prae se ferunt amicitiam, beneficia plurima sed viscata in eos conferunt, quos retrahere constituerunt. Excipiunt conviviis, muneribus afficiunt, pecunia sublevant, si aegrotent, si fortunam minus prosperam experiantur, consilio, consolando, re ipsa adjuvant. Ubi familiaritate conjunctissimi sunt, ad iter una mari aut terra suscipiendum, vel tantum ad excursionem ad amicorum aliquem, aut in praedium aliquod faciendam invitant, denique quavis occasione in potestatem suam redigunt, & ad Inquisitorum tribunalia redire cogunt. Sunt quos Constantinopoli usque hoc modo retraxerint. Si quis ergo citetur, praestat sine ulla mora comparere, quam frustra tentare fugam. Sed non raro reus nec citatus nec auditus in carcerem conjicitur. Tum non extremum vale parentibus, liberis, fratribus, amicis dicere, non de rebus summe necessariis suos monere licet, tradendae aedium claves, eundem, quo licetor rapit, in carcerem horridum, subterraneum, tenebricosum, quo multae ambages non dissimiles labyrintho ducunt, quo nunquam sol penetravit.

B

Ad

Ad eum nemo amicorum admittitur, ipse aedesq; summa diligentia excu-
tiuntur. Porro per complures ibi dies imo menses haeret, nescius
saepissime, quid admiserit, aut quare captivus detineatur. Tandem a-
liquando per commentariensem admonetur, ut audiri ab inquisitoribus
postulet. Cum ad iudices ventum est, quid deliquerit, non eum iudices
edocere, sed ex ipso discere volunt. Quid velit, quid petat, quaerunt. Non
vera tantum confessos esse, sed & falsa, & quod admiserint ea quae
admittere nunquam in mentem venerit, dixisse, multis saluti fuit. Non e-
nim ad extremum supplicii finem statim Inquisitores tendunt, nec primum
delictum capitis poena vindicant. Praeterea victi hominis saepe non
supervacua solum sed & invisa defensio est, quae iudicem non docere vi-
detur, sed arguere. Neque tamen male consulunt rebus suis, qui interroga-
ti, nihil aliud, quam nullius se sibi sceleris conscios esse, nec quicquam aut
defendendum aut excusandum habere, respondent. Nisi enim vel evi-
dens admissae culpae probatio, vel minimum haud levis suspicio adsit, di-
mittuntur. Si vero secundo quis reus peragatur, plena periculi res est.
Quamvis etiam causam timere non possit, fortunam tamen timendi gra-
vissimas causas habet. Denuo omnes carceris molestiae per ingens tem-
poris spatium perferendae. Tum demum ad causam dicendam admis-
sum Inquisitores hortantur, ne crimen pertinaciter negando ipsis mole-
stiam creet, sibi causas supplicii augeat. Si fateatur, sua etiam sententia
damnatus, nec amicorum misericordiam mereri videtur, si negare perse-
veret, per Crucem & Evangelia sancta jurandum est, non aliud in lingua
promtum, aliud in sinu clausum habiturum esse, nec nisi vera ad quae-
stiones vel jam propositas, vel adhuc proponendas responsurum. Simpli-
citer & candide reum agere volunt Inquisitores, ipsi minime sincere integreque
agunt. Ubi diuturna mora carcereque fractus animus, crimina, quo-
rum postulatur, chartae mandata tradunt, ita tamen, ut vera falsis, falsa
veris misceant, criminaque addant horrenda, quorum a nemine postula-
tus est. Si fortasse de atrocioribus atrocius, de levioribus levius conque-
ratur leviorum reum esse non levem hanc suspicionem Inquisitores cen-
sent. Conceditur & advocatus, qui causam ejus agat, sed ita, ut fortas-
se majus incommodum clienti afferat, quam auxilium. Quis non finem
malis adesse vel imminere saltem arbitretur? at haec vix initia fuere. Post-
quam toties ex carcere ad iudices tractus a iudicibus in carcerem iterum
detrusus est, vix tandem serio de causa ejus excutienda cogitant.
Tradunt verum & confictis criminibus liberatum eorum quae testes de
eo indicaverunt, catalogum. Haec si satis diluiffe Inquisitoribus non vi-
detur, tormentis exprimendam veritatem decernunt. Triplextormentorum

torum genus est: primum funibus, secundum aqua, tertium igne peragi-
tur. Funi manibus in tergum inflexis alligatus in altum rapitur, ibi per
temporis aliquod spatium pendulus tenetur, mox in terram demittitur, i-
ta tamen, ut pedibus eam non attingat. Si hos cruciatus constantia
vineat, magnam vim aquae ebibere coactus scamno quod in minora spatia
coarctari, & in majora rursus emitti pro lubitu tortorū potest, imponitur.
Scamno lignum transversarium, baculo quod ad magnitudinem attinet,
haud dissimile, injectum est, quo corpus paululum elevatum sustinetur.
Sic laceratur spina dorsi, & ingentibus, iisque prorsus, qui fidem su-
perent, doloribus miser afficitur. Aquam ignis excipit. Pedes lar-
do, vel alia, quae ignem facile arripiat, materie illitos, igni admovent, do-
nec ea per ultimos cruciatus dicat, quae dicere eum Inquisitores volunt.
Non vero doloris finē nisi ad tempus impetrant, qui vel vero vel mendacio
a cruciatibus liberari tentant. Si enim facinus a se admissum fateantur,
denuo subjiciuntur tormentis, ut causas perpetrati sceleris indicent, qui-
bus tertium repetitis socii participesque exprimuntur. Sic demum satis
quaesitum est, & post tot cruciatu, qui non ad quaestionem sed ad poenam
ingesti videri possint, reis vel per testes vel propria confessione convictis
poena statuitur. Vel capitis, vel ad perpetuos carceres vel ad triremes da-
mnanantur, vel jubentur virgis caedi, vel similem aliquam subire poenam.
Lata sententia plerumque diu admodum differtur, ut actus ille fidei tanto
majori pompa & apparatu celebrari queat. Cumque metus multoque magis ex-
pectatio mortis ipsa morte gravior esse soleat, ista ratione miseri vere sen-
tiunt se mori, nec procul causas quaerendi habent, si mortem commeriti
sint, cur tam diu vivant, si insones sint, cur injuste occidantur. Quod
si quis innocentiam iudicibus approbet, dimissus silentio premere tenetur,
quicquid cum eo actum fuerit. Interrogatus manum admovet ori &
hoc solum respondet, quod nolit respondere. Adeo quaevis injuria
ferenda est, ut nec de allata conqueri audeat. Si mortales gemitus in pote-
state haberet, & illi ab Inquisitoribus prohiberentur, imo si cogitata resciri
possent, nec quid injuriarū perpetrati sint animo revolvere, integrum mise-
ris futurum arbitror. Et Inquisitioni quidem Hispani unice acceptum fe-
rendum existimant, quod sacris sua reverentia, Pontifici Romano sua con-
stet auctoritas. Illa vero infirma religio sit oportet, quae a ferro & flami-
nis arcessit vires. Vera religio, vera pietas crudelitate non indiget. Chri-
sti Ecclesia, sanguinē non sitit, cum sponsus ejus sit agnus. Falsas doctri-
nas ita compesci cupit, ut supersint, quos errasse poeniteat. Tollendi er-
go emedio errores, non homines, qui errarunt. Sola religio non impe-
ratur. Suppliciiis morbus menti inhaerens non sanari, irritari utique
potest

potest. Qui religione ducitur, in eo vexatio & dolor nullum momen-
 tum habent. Quicquid cadere in hominem potest, in se cecidisse non
 queritur, in mediis flammis perseverat, nec quid passurus, sed quid factu-
 rus sit, cogitat. Et quam parum in sacri cultus negotio crudelitate pro-
 ficjatur, adhuc hodie, Judaeorum, quorum majores ad Christianorum,
 sacra amplectenda coacti fuerunt, exempla comprobant. Dum in Hi-
 spania degunt, tantisper cavent. Cum in Belgium foederatum, ubi
 sentire, quae velint, & quae sentiant, dicere licet, se recepere, circumci-
 duntur. Non enim, ea, quae par erat, diligentia ab Hispanis in fidei no-
 strae capitibus instituuntur. Vix & ne vix quidem capita fidei norunt,
 nedum, quibus contineantur fundamentis. Infra se Hispani plerique
 ducunt Hebraicis operam dare studiis quippe qui (harum sonitus lau-
 dum Campanella est) *lingvis jam dudum valedixere, ex quo Hebraeos,*
Graecos & Latinos vicerunt, & cum eodem Campanella Scholas linguae
XXVII. Ib. Graecae & Hebraicae claudi volunt, quod iis haereses potissimum ho-
die nitantur. Sunt quidem inter Hispanos, qui studii nobilissimi studio
 ducantur, sunt etiam, qui maximos & mirandos plane in eo fecere pro-
 gressus, sed rari hi admodum sunt, & pauci. Praeterea ligna & lapides
 coli ab Hispanis Judaei vident. Idem toties Veteris instrumenti tabulis
 prohibitum, & tam severe in majoribus a supremo Numine vindicatum,
 legunt. Hinc non possunt non sacra Pontificiorum averfari. Absit
 tamen, ut negem ullum Judaeorum in Hispania sincere ad Christianorum
 castra transire. Prudentiores vulgo sacrificulorum, Patres, interdum mis-
 sis quae parum ad rem faciunt naeniis ad solam de Christo doctrinam,
 flammis exurendos revocant. Quid mirum has verbi divini potius quam
 illas flammis mentes hominum animosque penetrare? Exemplo erit, quod
 nunc referam, & cujus testem habeo oculatum & omni exceptione ma-
 jorem Dominum Crochmannum, mercatorum Hamburgensem primicerium, &
 fisci Judaeorum per Dei gratiam Hamburgi ad sacra nostra traductorem,
 olim Administratorem optime meritum. Ante hos XXV. annos Ulyssippe
 totius Lusitaniae metropoli in solenni religionis examine XIX. Judaeis a-
 vita supersticio igne luenda erat Inter Judaeos unum Doctoris dignitate, inter
 Patres, qui ultimo afficiendos supplicio comitabatur, itidem unum doctrina
 prudentiaque eminebat. Hic ex LIII. Esariae capite de Messia pie, graviter, &
 erudite disseruit. Non qui aderant, spectatores Christiani, magis quam Hebrae-
 orum ille Doctor qui differentem sedulo & attente audiebat, permoti fuerunt.
 Acerrimum certe aculeum orationem eam in animo hominis reliquisse jam
 ex vultu apparebat, sed quo minus idem voce doceret, freno ori injecto
 prohibebatur. Quapropter ad Inquisitorum mentem supplex con-

De Monar-
chi Hisp. cap.
XXVII. Ib.
cap. X.

conversus, loqvendi veniam petiit. Facta loqvendi copia, cunctis spectatoribus cum gaudio, Judaeis cum stupore auscultantibus agnoscere se Christianae religionis veritatem fassus est: non alium, quam quem Christiani colerent, verum Messiam esse, hunc peccatis, hunc jugo & tyrannide Satanae, hunc sempiterna morte homines liberasse, in hoc uno se spem salutis collocare. Tum se ipsum accusare coepit, quod pessimam Servatori optimo gratiam rerulisset, quod nunc demum in exitu vitae eum agnosceret, quem per totam vitam religiose colere & venerari debuisset. Porro cum ad rogam duceretur, (non enim plus de rigore, sententiae mittendum censebant Inquisitores, quam ne vivus cremaretur) magis de popularium salute, quam de supplicio, quod subibat, sollicitus fuit. Graviter eos monuit, ut a se exemplum peterent quod sequerentur, nec vitam a ritu Christiano abhorrentem potius quam piam mortem imitarentur. Dolebat enim ille Christi ex hoste praeco, quod non habiturus esset sempiternae felicitatis socios, quos suppliciorum haberet. Patribus sacri ordinis undique circumdatus, neminem auscultare imo ne audire quidem voluit, nisi de Christianorum Messia ex illustri Esariae oraculo, quod capite LIII. exstat, aliisque luculentis Prophetarum testimoniis verba faceret, ipse nihil aliud eo Patre de quo supra dixi, & approbante & laudante in ore animoq; habuit. Verum enim vero, sub tã atroci Inquisitionis imperio, Hispania tamen Judaeis non caret. Sunt in Hispania non pauci, sunt Mantuae Carpetanorum, sunt in aula, sunt Judaismi non magis sibi quam aliis manifesti, sunt & vivunt, & rei pecuniariae praeficiuntur. & titulos honoresq; nobilitatis nemine adversante capiunt. Cum primus sub Imperio Regis, qui hodie Hispanias moderatur, fidei actus celebratus esset, paucis post diebus Aventura dionis, homo Judaeus a Rege LM imperialium Marchionis titulum impetravit. Ejus Parens jam olim Equitus S. Jacobi dignitatem obtinuerat, fuerantque LXX imperialium millia pro meritis. Igitur leges quidem, Judaeos omnes morti destinant, sed contra eos tantum vim suam sortiuntur, qui parum a praesidio argentario instructi sunt. Si quis divitiis affluat, nihil timendi, nihil tamen etiam contemnendi causas habet. Plus autem ibi minarum, quam periculi est. Nō de capite agitur sed de pecunia. Hujus nisi magnam vim solvat, & bona omnia & vita ipsa in discrimen adducuntur. Ea persoluta, Justitia, quae oculis obtectis pingitur, Judaeum nec videre, nec noscere, nec punire potest. Auri enim vis & in Hispania permagna est, plurimumq; apud Inquisitores valet. Neque vero omnem humanitatem ita exuisse censendi sunt Inquisitores, ut nullam amicitiae familiaritatisq; rationem ducant. Quae in aliis graviter, in amicis interdum aut prorsus non puniunt, aut mitius. Luculento fuit exemplo Hamburgensis non ultimae

fortis mercator, quem nominare possem, si opus videretur. Libros hic penes se habuerat, ab Inquisitoribus damnatos. Eodem nomine alius quidam arguebatur. Utrique ad Inquisitorum tribunal tracti. Per multas ambages tandem in obscurum pervenere locum. Ibi confederant Patrum aliquot, naso specilla gerentes, & legendis libris occupati. Nemo eos vel verbo dignatus est. Per integras ibi horas pleni metu terroreque steterunt. Tandem unus Patrum innuit, ut accederent proprius. Accedunt. Ille iterum ad legendum se convertit. Cum miseri dira quaevis expectarent, mercator magno suo bono ab aliquo eorum agnoscitur. Hunc sibi olim beneficiis devinxerat. Noverat is beneficium accipere, & jam in tempore reddere noverat. Itaque occasionem de amico bene merendi datam cupide arripuit. Prudenstamen, (ut arbitror) quod nosset hominem dissimulavit. Torvo, & ad augendum terrorem composito vultu, interrogat, quare huc deducti essent, quid commississent, librosne legissent prohibitos? Jam dudum vox faucibus haeserat. Id vix motis lacertis indicare, ceteroquin nihil, nec falsi aliquid aut inepti proferre poterant. Quasi causa jam dicta esset, surgit ille, citato gradu ad campanam pergit, sonituque consuetum signum dat, Hamburgensem illum absolutum esse. Qui & statim sine mora dimissus diu post in Hispania fato concessit. Alter per fenestram abreptus nunquam a correo visus amplius est. Ejusdem uterque delicti rei; uterque aut absolvendus aut dimittendus erat. Si unus injuste punitus, Patres nimis crudeles, si alter injuste dimissus, nimis faciles misericordesque fuere. Quod si autem pro peccato magno paulum supplicii satis est Patri, nimia severitate erga utrumque ob tam leve admissum usos facile sibi quis persuaderi patiatur. Nominandus hic omnino est, qui non tantum quod modo narravi, sed alia non pauca, quae vel jam exposita sunt, vel adhuc tradentur, mecum communicavit, Vir Maxime Reverendus & Amplissimus D. Eberhardus Anckelmanus, Theologus de Ecclesia Christi optime meritus, Fautor, Praeceptor & Affinis meus honoratissimus. Terras has remotissimas non curiositate aliqua, aut peregrinandi cupiditate, quae tamen optimo cuique insita extra omnem versatur repraehensionem, sed gloria Dei motus, & ut operam suam eo majori cum fructu in Judaeis Lusitanis, qui Hamburgi degunt, disciplina Christiana imbuendis poneret, visendas sibi arbitratus est. Quamvis enim, qui inter nos commorantur, Judaei Lusitani, non Lusitanam magis quam nostram linguam calleant, adeoque manum operi admovere, nisi Lusitani antea sermonis gnarum nolle, sit in re seria cum Lusitanis lusitare, expediebat tamen esse, qui cum iis vernaculo sermone promte eleganterque colloqueretur. Nam quisque proprii sermonis amore ducitur, libentiusque

liusq; eo, quam peregrino sermone verba facientem audit, existimatq; id
genti suae, id sibi ipsi accedere, quod ad linguae suae honorem accedere
videatur. Is quae non auditione levi aut inani rumore sed certis aucto-
ribus accepit, quibus ipse interfuit, quae suis oculis vidit, pro suo in me a-
nimo aperte & candide jamdudum impertitus est. Quod ut grata agno-
sco mente, ita publice hic testandum duxi. Ceterum libenter fateor non
eadem qua olim amplius Inquisitores acerbitate grassari. Fatigata tot sup-
pliciiis crudelitas multum ex antiquo rigore mutavit. Imprimis in Prote-
stantes remissius inquiritur, nec publico sed clandestino supplicio anim-
adverti solet. Cum vero is, qui a Pontificiorum sacris discessionem fece-
rint, punitendis invigilare debeant, non inter Consiliarios imo ne inter mi-
nistros quidem aliquis recipitur, qui non possit certis documentis demon-
strare, neq; se neq; majores suos inquisitionis censura notatos esse. Nemo e-
nim facile acri in aliis censor criminis est, quod ipse admittit, ne in aliis se
ipsum damnare videatur. Sed nulla regula omni exceptione prorsus caret.
Nondum XXVII. effluxere anni, cum homo ex Germania oriundus & e-
mendatis nostratum sacris usq; ad XIV. aetatis annum deductus, non mi-
nistri, non Consiliarii sed supremo Generalis Inquisitoris officio fungere-
tur. Is Johannes Eberhardius Nithardius fuit, quem Ferdinandus III Impe-
rator Mariae Annae filiae suae, cum Hispaniarum Regi Phil. IV. nuberet,
a curatione conscientiae & a Confessionibus esse voluerat. Ipse Philipus Ni-
thardiū maximi fecit, novis tamē honoribus non auxit. Sed cū mortalita-
tem explevisset, Regina quae ultima Regis voluntate, regni administratio-
nem suscepserat, omnem auctoritatem suam ad evehendū Nithardium
contulit. Statuebat enim in eo se non solum officii & dignitatis suae fructū
sed etiam pietatis laudem quaerere debere. Itaq; Nithardium summum at-
que altissimum Hispaniae gradum obtinere voluit. Quod ut eo facilius im-
petraret, ante omnia Generalis Inquisitoris partes ei deferre constituit. Has-
tum Archiepiscopus Toletanus sustinebat. Ut provincia cederet. Regina
ab Archiepiscopo summa animi contentione petiit. Grave erat Archiepi-
scopo, tam splendido officio cedere, quippe cui vix magis cordi Archiepi-
scopi provincia quam Inquisitoris Generalis erat, quamvis ex Archiepisco-
patu trecenta & sexaginta sex imperialium millia in annos sin-
gulos ad eū redirent. Gravius tamen videbatur, id Reginae tam obnixae pe-
tenti denegare. Igitur obioso Inquisitionis munere & Magistratu se abdi-
cavit. In locum ejus Nithardius successit. Mox in eum cuncta vergere,
reliqui propemodum sperni, cum solus ille maxima negotia obiret. Male
hoc Proceres, pessime Johannem Austriam habuit. Non Austrius patrem
Nithardiū, nec Austriam Nithardiū superiorem ferre poterat. Philippus te-
statur.

stamento caverat, ne quid Regina inconsultis iis, quos ei a Consiliis esse voluerat, statueret. Id obtentui sumere, qui fortunae Nithardii inuidebāt. Inde ex magnitudine fortunae maximum periculum Nithardio nascebatur. Nec plebeji minus quam Proceres ipsi erant infensi. Magis adhuc irritati animi, cum Regina potentiam magis tutam acrioribus quam cautis consiliis haberi existimans Josephum Mallades, Austrio in paucis carum, in custodia interfici iussisset. Austrius culpam omnem in Nithardium conferebat, Nithardius eam suspicionem invidiamque a se amoliri strenue nitentur. Sed Austrius Procerum, Mantuae Carpetanorum, Arragoniae, imo totius ferme Hispaniae studiis fultus, vi Nithardium tota Hispania pellere instituit. Trecentis equitibus stipatus Mantuam Carpetanorum advolat, Regina se in parem videns Nuncium Pontificis obviam Austrio cum ejusdem literis mittit, quibus eum ad obedientiam hortabatur. Nec ille a lenioribus consiliis alienus erat. Facta, transacta omnia, si Pontificis Nuncius sincere & ingenue, quae Austrius in mandatis dederat, Reginae Nithardioque exposuisset. At odio Nithardii motus nihil spei superesse, proximo die Lunae Nithardio Mantua Carpetanorum excedendum, aut eum ex fenestra deturbandum Austrio jam ad ultionem prompto veniente, nunciat. Vix Lunae dies (25. Februarii A. 1669.) illuxerat, cum universa civitas consurgeret, & Generali Inquisitori extrema omnia, ni propere urbe excederet, minaretur. Tum demum Regina, quae hactenus contra fortunam spei institerat, in exilium fidelis Ministri consensit. Ita factum est, ut quod inauditum antea fuerat, Supremi Inquisitionis Consilii caput solum vertere cogeretur. Nescio, annon plus additum ad memoriam nominis ejus, quam demptum de fortuna fuerit. Magno invictoq; animo adversa toleravit, & vicit. Cum unus procerum jam ad iter se componenti varia obiectaret, adjiceretq; illum sibi ipsi omnium malorum causam esse, magis pristinae quam praesentis fortunae memor, graviter respondit, non debere Generalem Inquisitorem tam procaci sermone laceffi. Triginta scutorum millia quae ad iter offerebantur, & Legati ad aulam Romanam munus accipere renuit. Egressurus urbe dum a plebe maledictis lapidibusque petebatur, animi in calamitate firmitatem, patientiam suam Deo jam probari palam ingeminans, satis demonstravit.

IV. Progredie ndum nunc ulterius esset. Dicendum de reliquis, quibus Hispaniae reguntur, Consiliis publicis. Qvis status religionis qui gentis mores, quae potentia, quid Regi regnoque expediat, exponendum. Nimis vero longum argumentum est, quam ut tam arcto spatio, quod legibus conceditur, includi possit, & augustius, quam ut debeat. Igitur, cum excludar pagina, haec, quam posteriorem esse Dissertationem oportebat, nunc secunda erit. Fidem tamen B. C. D. quamprimum liberabo, & quae restant, proxime insecueuris exequar Dissertationibus.

mabant proceres, bertatem viribus c
 genus. Justitia c
 retur. Huic incu
 nere. Imponebatur
 legia populi facta t
 renunciaabat rege
 vos, & plus quam
 vos & nos unus ma
 vix ac ne vix quide
 gnificentius illud &
 regios privilegios.
 Polonia, erat. U
 consensus. Quoc
 ret. Regum tamē po
 imo prorsus deleta.
 bēdi potestate a suis
 de eligendis Regibi
 pegit suae, dicens, r
 Seculo xV. Censor
 ctorum reddere ten
 apud neminem caus
 Reges beneficiis, alt
 Principatus, cuncta
 teresse justitiāe, ne
 impune posset. Ita f
 tas valuit. Philippus
 tus & le & successor
 dii, quem ipse Rex i
 lere meritis erat Per
 que amorum, qui R
 honesta causa vider
 am provocabat; Rex
 nii, privilegiorum
 Johannes Nuca, ult
 runt, securi percussus
 priscae libertatis hoc
 conditio, quam Caste
 vinculum Gallorum
 tem, cum jam olim a

Faribus partam li.
 tus excogitatum
 stornas concilia
 tibus inclusam te
 mittebat, se privi
 populi nomine
 i sumus quantū
 tionibus. Inter
 is par Regi, Rex
 hinc natum ma
 iustitia non curat
 quam hodie in
 orum omnium
 unus repugna
 ritas imminuta,
 magis quam ja
 Mox caput, quod
 que manui im
 em delendam.
 is rationem fa
 stitiam, Justitiāe
 eorum, quibus
 erat, resolvi vim
 tis populi, in
 injuste agere.
 os quam liber
 muli Magistra,
 perfecti Escove
 is iram alio sce
 ibator, fructus
 Sed cum minus
 zius ad Justiti
 fuit, ut Arrago
 idebellarentur.
 e munus gesse
 ut vix umbra
 norum melior
 stentis unicum
 r. Nunc au
 ne, magnisque
 sumti-

